



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 5. S. Eugenii Miracula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum V. A.C. 483. *stram Communem tibi demonstrent; præcipue veniant ab Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum Caput est. (*)*

n. 16. Hæc dicebat Eugenius, non quod nesciret, nullatenus viros doctissimos deesse Africae, qui ab Adversariis objecta refutarent, sed cupiens, ut vocarentur Episcopi, qui, quia Vandalis non subditi, majori libertate essent locuturi, & universæ terræ, quibus artibus opprimerentur Catholici, testatum facere possent. Hunericus spretis Eugenii precibus, occasiones captabat, ut Episcopos, qui cæteris doctiores ferebantur, persequeretur. Donatianum Episcopum secundo in exilium misit, prius fustibus, & quidem centum quinquaginta verberibus, cæsum. Presidium quoque Suffetulanum proscripsit. Mansuetum, Germanum, Fusculum, & plures alios verberibus affici iussit. Interim prohibuit lege, ne quis suorum cum Catholicis cibum sumeret. Catholici idipsum vetitum esse lætabantur.

§. V.

S. Eugenii Miracula.

n. 17. **C**arthagine degebat homo cæcus, cui nomen Felix, in urbe notissimus. Huic

(*) Hoc Testimonio nihil illustrius, nihil ad convincendos Protestantes aptius! est enim omni Exceptione majus.

Huic Nocte Epiphaniam præcedente in Sæculum V.
A. C. 484.
 somnio dictum: *Surge! vade ad Servum meum Episcopum Eugenium, & dic ei, te jussum a me venire. Is hora, qua fontes Baptismi benedicet, oculos tuos tanget, & visum recipies.* Cæcus somnium hoc esse credidit, aliis somniis simile, & noluit surgere. Iterum in somnum lapsus idem facere secundo jubetur, & etiam tertio non nihil durius increpitus. Tum excitato puero, cujus manu duci solebat, propere ad Fausti Basilicam vadit, & postquam inter multas lacrymas orasset, Subdiaconum quemdam compellat, rogatque, ut moneret Episcopum, esse arcanum, quod ad ipsum perferret. Jussit Episcopus cæcum ingredi. Jam populus in tota Ecclesia preces nocturnas cantare cœperat. Cæcus, quid sibi in somno oblatum fuisset, narrat, & addit: *Non dimittam te, nisi mihi lumen reddideris, sicut tibi præcepit Dominus.* Eugenius dixit: *recede, Frater mi! peccator sum, & Mortalium miserrimus, cum Deus in hæc pessima tempora me reservaverit.* Cæcus genua reluctantis amplexus eadem preces repetebat. Eugenius videns magnam fidem ejus, & instante Officii hora compulsus, cum ipso ad fontes comitantibus Clericis procedit. Consuetudo vigeat in Africa, & etiam in quibusdam aliis Ecclesiis, ut Baptismus in Epipha-

pipha-

Sæculum V. piphania, sicut in Paschate, & in Pentecoste conferretur.
A. C. 484.

Eugenius Episcopus ubi ad fontes venit, flectit genua, & inter crebros gemitus aquam benedicit, finitis precibus, surgit, & dicit ad cœcum: *Jam dixi tibi, Frater mi Felix! quod homo peccator sim, sed oro Dominum, qui te visitare dignatus est, ut faciat tibi secundum fidem tuam, & oculos tuos aperiat.* Simul super oculos ejus Signum Crucis format, & cœco lumen redditum est. Eum Episcopus apud se retinuit, donec omnes fuissent baptizati, ne populus primo sanatum videndi impetu eum conterreret. Tum miraculum toti Ecclesiæ manifestatum. Felix Episcopum comitabatur ad Altare, ut gratum Deo se exhiberet, oblationem suam ferens, quam accipiens Episcopus Altari imposuit, populo magnis clamoribus lætitiâ profitente. Hoc eventu protinus ad Regem delato, Felicem comprehendi jubet, ut ex eo verum disceret. Is omnia, ut contingerant, retulit. Arianorum Episcopi id Eugenii præstigiis præstitum asserebant, & si occasio favisset, occidissent Felicem; quippe cum virum omnes novissent, miraculum celari non poterat.